



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXVII. Satisfit alteri obiectioni, & a varijs incommodis doctrina data
vindicatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

CAPVT XXVII.

*Satisfit alicui obiectioni, & à variis incommo-
dis doctrina data vindicatur.*

Altera obiectioni sapientius repetita contra nos, est, quod ex nostra sententia sequitur, vel potius quod asseramus, prius natura nos efficere determinationem nostram quam Deus physice nos adiuuet: consequens est absurdum quod variis propositionibus nobis attributis ostendunt. Et in primis F. Dauid tres potissime inter alias ponit. Prima est. Quod liberum arbitrium suis viribus inchoet opus pietatis, ut opus inceptum gratia promoueat, & consummet. Secunda. Partem aliquam operis per se à libro arbitrio solo, partem à Deo, & illam, quæ est à libro arbitrio esse priorem Tertia. Habere hominem aliquam per solum liberum arbitrium, quo se discernit, &c.

Secundo Petrus Cabrera eandem doctrinam nobis attribuens, primò sententiam nostram his verbis refert. *Afferunt voluntatem prius se determinare ad operandum in actibus liberis ex vi sue libertatis, & sufficientis auxilij, quam Deus concurrat per auxilium efficax.* Ex quo principio has propositiones inferit. Prima est. Itaque Deus voluntatem iam determinatam adiuuat, ut talem actum perficiat. Secunda. Secundum ipsam sententiam voluntas constituta in actu primo per auxilium sufficientem, reducitur ad actum secundum se sola, & per se ipsam. Statim verò addit, sed ad eam reductionem concomitantem concurrat auxilium efficax. Tertia. Itaque in hac opinione hac propositio est vera. Quia voluntas se determinat ad hunc actum, ideo Deus efficaciter illi auxiliatur ad eundem actum, & contraria est falsa. Et tamen statim subdit, quod licet negemus concursum Dei esse aliquid prius datum voluntati iam constitutæ in actu primo quo applicetur, & reddatur potens ad operandum, nihilominus docemus illam concursum esse immediatum influxum in actionem simul cum libero arbitrio, & quod concursus Dei per auxilium efficax, neque tempore neque natura antecedit concursum voluntatis ad eandem actionem sed influxus liberi arbitrii, & auxilij efficacis à se mutuo pendunt, & simul omnino sunt, & in eandem numero actionem. Inferit autem hic Auctor illas propositiones, non tanquam inconuenientia, quæ ex nostra opinione sequantur, sed tanquam sententiæ quæ à nobis asseruntur. Ego autem ne iudicem voluisse nobis falsum imponere, illa refero tanquam illationes contra nos factas, & obiectas. Et in fine illius §. num. 109. me solum refert tanquam illius doctrinæ assertorem in disputatione 22. Metaph. sect. secunda, & lib. de Auxilio cap. quinto, & lib. secundo cap. 7. & 8.

Tertiò eandem nobis in summa obiicit Aluar. nam disput. 22. num. 11. in fine ait nos appellare determinationem Dei condeterminationem, & addit. *Sed verius dixissent post determinationem cum reuera in eorum sententia determinationem creatæ voluntatis ordine nature subsequatur.* Quod in disput. 99. se probaturum promittit, in illo autem loco non probat, sed supponit, nos asserere has tres propositiones causales esse veras, Quia homo operatur, Deus operatur, quia homo vult consentire ideo adiuuatur, quia homo vult conuerti, ideo gratia excitans transit in adiuuantem, seu cooperantem. Et his suppositis in eas inuehitur tanquam in assertiones Semipelagianorum quas Prosper & Hilarius ad Augustinum derulerunt, de quibus ipse contra Semipelagianos maxime disputauit.

Quarto

Ad maiorem verò explicationem dicti secundo potest, quod actus consentiendi, & est quid physicum, & esse quid morale, vel liberè sit, & utroque modo facit illum Deus, & facit ut à voluntate fiat, tam physicè, quam moraliter cum omni proprietate & sine metaphora. Diuerso tamen modo, nã ut est quid physicum, sit physicè, ac per se, & immediatè à Deo cum actu influit in illum, ut autem est quid morale per se, ac propriè sit à Deo morali modo per inductionem, & tractionem moralem voluntatis. Vnde ad veritatem, & proprietatem illarum locutionum non est necesse fingere, quod prius natura, quam nostra voluntas suum concursum præbeat, Deus physicè flectat illam, & determinet, hoc enim non sit physicè, nisi cum iam voluntas seipsam flectit, & consentit, prius vero natura solum antecedit moralis inductio suadendo, & inclinando voluntatem. Nam licet hæc inductio fiat per reales motus factos à Deo physicè, tamen respectu futuri consensus solum habent causalitatem moralem, & per illos dicitur Deus trahere voluntatem ad consensum cum omni proprietate ad quam sufficit causalitas moralis, quia vnusquisque effectus suæ propriæ causæ tribuendus est, quia causalitas moralis in suo genere vera, & propria est, & effectibus moralibus accommodata. Et ita exposuit illas locutiones Augustinus locis, tribuens semper vocationi, vel inspirationi diuinæ, quod per illam facit Deus non velle & in locis proximè citatis videre licet. Estque testimonium optimum in lib. de Corrept. & Grat. cap. 2. ubi prius ait, gratiam Christi esse per quam fit omne bonum. Non solum ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam, ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt. Declarans vero quæ sit hæc gratia per quam hoc Deus facit, adiungit. Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis, atque operis posebat. Apostolus eis quibus dicebat. Oramus autem Deum ne quid faciat mali. Et eodem modo exponit illam causalitatem Prosper. 2. de vocat. gent. & plura ex Patribus inferius asseremus.

Quapropter non est simile quod asseritur de efficacia sacramentorum: nam effectus gratiæ, ut sit à sacramentis est physicus non moralis, & ideo si non habent causalitatem physicam, non possunt habere veram causalitatem, sed metaphoricam, quod fecit in presenti. Sermones enim debent rebus accommodari iuxta materiam capacitatem. Et hinc etiam est quod in presenti materia Patres semper exponant antecedentem tractionem, seu inductionem gratiæ per moralem modum, ut allegaui, & plura in capitulis sequentibus allegabo. De sacramentis autem, vel humanitate Christi Domini non ita loquuntur, sed simpliciter illis tribuunt potestatem, causalitatem, & effectiorem. Et nihilominus etiam in eis non est certa illa causalitas physica sed adeo probabiliter defenditur, quia sine inconuenienti potest saluari, & alioqui moralis in illa materia nec necessaria est, nec potest esse nisi valde metaphorica. At vero in presenti materia moralis causalitas est propriissima, & per se necessaria ad moralem consensum, ut etiam Auctores oppositæ sententiæ fatentur, & alioqui physica efficientia sufficienter illi coniungitur eo modo quo à nobis explicata est, & maior non solum non necessaria non ostenditur, sed etiam habere videtur repugnantia incommoda libertati, & sufficienti gratiæ, est ergo longè diuersa ratio. Ad confirmationem autem negatur sequela, quia quando Deus facit nos facere, ita ut cum effectu faciamus, etiam facit physicè nostrum facere, & ita nihil habemus, quod non sit ab ipso physicè & propriè, facit autem nostrum facere non solus, sed faciendo nobiscum. Non enim quidquid Deus nobis donat, solus ipse facit, sed quædam donat faciendo nobiscum iuxta Concilium Arausicanum, & Augustinum.

Cumel.

Quartò eodem planè modo de me sentit, Cumel disto lib. 1. disp. 4. in principio §. Certè ubi me sentire dicit, Deum expectare influxum voluntatis humane praevidendo ipsum per scientiam mediam antecedenter ad influxum suum diuinæ gratiae, & ad eius etiam concursum. In quibus verbis solum pondo particulam illam antecedenter, nam reliqua quæ ad præscientiam conditionatam pertinent superius tractata sunt, de altera vero sententia, quod Deus expectet influxum nostræ voluntatis infra dicendum est. Expressius vero ead. disput. 4. sect. 3. post primam conclusionem sic inquit. *Videntur nonnulli auctores huius ætatis sentire quod Deus & gratia illius solum tribuunt initium iustificationis remotum, videlicet, primam excitationem, hominem vero supposita illa excitatione incipere prius natura liberam conuersionem, per quam proxime & immediate præparatur ad gratiam, & postea natura, quia voluit homo consentire, Deum velle hic, & nunc adiungere illum simultaneo concursu.* Et postea me solum allegat, confertque inter se varia verba mea. Item inferius post secundam conclusionem, sub tit. *Aperitur campus, &c. §. sane argumentatur. Si efficacia auxilij & gratiae actualis Dei proueneret ex nobis, sola autem sufficientia esset ex Deo, sequeretur quod principale est in nostra conuersione tribuendum nobis esse.* In qua argumentatione videtur particulam assumere ex nobis exclusivè, alias frivola esset argumentatio. Unde satis declarat exclusivam cum dicit, *sola autem sufficientia esset ex Deo, supponit ergo nos hoc docere, vel hoc sequi ex nostra sententia.*

Ledesma.

Quintò P. Ledesma artic. decimo quinto prius de nobis omnibus, quos ab schola, & doctrinâ D. Thomæ relegat, solum ait, quod negemus Deum prius natura efficere in nobis consensum quam nos illum faciamus sed ad minus, inquit, tenent quod debent esse simul prædeterminatio, & præmorio Dei & etiam creaturæ, quæ quidem secundum istos non debet esse prædeterminatio neque præmorio. Et ad hoc ostendendum inferius multa ex libris nostris adducit. Et nihilominus ibidem subiungit, aliquos ex nostris dicere, quod voluntas creata prius natura prædeterminat se ad ipsam operationem, supposito diuino auxilio sufficienti, quia sine prædeterminatione efficacis auxilij ipsa voluntas eleuata per auxilium sufficientem potest seipsam applicare, & prædeterminare prius natura, & tunc veluti subsequitur operatio. Et citat solum Molinam referens fideliter eius verba ex Concord. pag. 186. hoc est ad quæst. decimam quartam, articulo decimo tertio, disput. 29. §. ult. & ex eis colligit. Molinam aperte significare quod supposito auxilio sufficiente & præueniente ipsa voluntas libere se applicat, & mouet prius natura ad opera supernaturalia, & Deus tunc cooperatur cum ipsa voluntate, ceterum in ordine ad effectum naturalem neutra istarum est prius altera. Quomodo autem id ex verbis Molinæ colligat, non declarat, neque inuenio vnde id colligere poterit.

6. Circa hanc objectionem aduerto, nonnullos Theol. absolute concedere, tam in operibus gratiæ, quam naturæ voluntatem nostram prius natura influere in suum actum, quam Deus in illum influat per generalem, vel specialem concursum. Ita tener Corduba in quæstion. lib. 1. quæstion. 55. dub. 8. & latè id explicat dubio 10. versùs finem, & refert pro hac sententia Gregorium in 1. distinct. 38. art. 2. ubi tamen solum ait cum. *Okam voluntatem nostram non determinari à voluntate diuina efficienter illam prædeterminante.* At vero in 2. disp. 37. art. 3. ad 8. dicere videtur quod Deus in suo concursu sequitur determinationem voluntatis, & causalem illam admittit, ideo Deus agit talem actum, quia illum voluntas agit, & non ideo voluntas agit, quia Deus agit. Sequitur Lorca disp. 38. de peccatis & disp. 20. de Grat.

Hæc vero sententia nobis non probatur, & sæpe

in superioribus reiecta est, quia cum omnis actio liberi arbitrij in quocunque signo naturæ consideretur, essentialiter penderet à concursu Dei, impossibile est, quod vero, & proprio ordine naturæ, seu causalitatis, præcedat actio liberi arbitrij, vel quod sit causa, vel ratio ob quam Deus in illam influat. Quod in re fatetur etiam Gregorius supra, vbi solutionem corrigit dicens non esse intelligendum, quod prius natura voluntas aliquid agat, quam Deus, propriè loquendo de prioritate naturæ, sed solum, quod voluntas humana influens in talem actum sit quodam modo ratio, & motuum, ob quod voluntas diuina determinet suum concursum ad eundem actum. Et idem ferè vult Corduba distinguens tria signa rationis, in quorum primo voluntas diuina se determinat ad concurrendum cum voluntate humana ad quemlibet actum, in secundo illa generalis voluntas Dei determinatur ad talem actum, & ad exercitium eius futurum, in tertio vtrique voluntas simul coagunt talem actum. Hæc autem omnia necessaria non sunt, nec rem declarant, sed obscuriorem reddunt. Prius ergo natura & æternitate antecedit voluntas Dei offerens concursum simultaneum, & postea in tempore vtrique voluntas simul tempore, & natura operantur eundem actum: neque est necessarius vllus ordo, vel causalitas inter vtramque causam vel influxum earum, vt in lib. 3. de generali concursu naturæ & gratiæ dixi. Eademque ratio est de actuali influxu proximi principij gratiæ cum voluntate supernaturali actum eliciente.

Ad totam ergo illam objectionem tria diximus. Primum esse illam doctrinam, & propositiones quibus explicatur, adeo esse à nostris scriptis alienas, vt contrariæ formaliter, & expresse in eis habeantur. Id ostendo in primis ex eisdem locis meorum librorum, quæ in contrarium allegantur: nam in Metaph. disput. 22. sect. 2. nihil eorum reperitur, quæ Cabrera allegat, imò in num. 54. in fine arguens punctum de ordine prioris, & posterioris natura inter influxum causæ primæ, & secundæ, illius resolutionem remitto in sect. 3. vbi num. 10. ostendo non ingeneri talem ordinem, sed omnino similes, quia sunt vna indiuisibilis actio, in qua non potest ordo causalitatis inueniri, & sub aliis rationibus declaro influxum causæ primæ esse naturæ priorem. In lib. autem primo de Auxil. a cap. 5. ostendo quidem non esse necessarium, neque dari concursum præuium, aut prædeterminantem, præsertim ad actus liberos, & maxime ad actus peccatorum, vt in eodem libro latius doceo. De prioritate autem liberi arbitrij verbum nullum in locis inde allegatis inuenitur, imò in lib. 1. cap. 15. à num. septimo idem dixi quod in Metaphysica. Et lib. 3. cap. 22. num. 4. & 5. de voluntatis determinatione ad actum supernaturalem, similiter dixi non esse prius ab homine, quam à Deo, imò à Deo esse prius, id est, principalius, vel prius ratione auxilij præuenientis, licet ratione concursus, seu actualis influxus non sit prior influxus Dei secundum propriam rationem causalitatis, sed omnino simul.

Ex parte Molinæ, vnus ille locus quem Ledesma refert, intentioni nostræ demonstranda sufficiens sic enim habet. *Dicendum ergo est, non prius Deum concurrere concursu vniuersali ad effectus causarum secundarum, quam causas secundas, aut è contrario, neque præuenire vnum influxum, quam alium, sed vtrumque concurrere in actionem, & effectum producendum, atque à se mutem dependere, vt existant.* In quo etiam est latissimum discrimen, & maxime notandum inter concursum Dei vniuersalem cum causis secundis ad agendum naturaliter, & ad agendum particulare gratiam præuenientem ad actum supernaturalem, quibus arbitrium ad gratiam disponitur.

naturales, quibus arbitrium ad gratiam disponitur. Etenim
ex his quæ à disputatione octaua dicta sunt, ex parte con-
stat; & insequentibus amplius explicabitur, omnino est di-
cendum, concursus Dei particularem gratiam præuenientem
semper, vel natura antecedere influxum liberi arbitrii ad
actiones suas supernaturales, quibus ad gratiam gratum fa-
cientem disponitur tanquam causa principiumque efficiens in
libero arbitrio immixtum, quo mediante Deus vltimus
vna cum libero influxu eiusdem arbitrii in huiusmodi opera-
tiones super naturales influit. At vero cum Deus per concu-
rsus vniuersalem, & causa secunda immediate influant in
effectum causa secunda, & tanquam due partes vnius integre
causæ, quarum neutra, illi præcise influxibus singularibus
influit in alteram, sed vtræque immediate in effectum, sit,
vnde natura illi præcise singularibus prius altera concurrat.

Cum ergo Molina vniuersaliter loquatur de in-
fluxu Dei, vt causa vniuersali, cum causis particu-
laribus, & ipse Ledesma fateatur, Molinam docere
in causis naturalibus non esse prioritatem inter
illas causas, non video, vnde colligat illum in
operibus gratiæ aliter sentisse. Nam differentia
quam ibi ponit Molina inter vtrasque causas non
est in auxilio simultaneo, sed in præueniente, quia
in causis naturalibus nos censet esse per se necessa-
rium, in liberis autem in ordine ad actus superna-
turales catholicè docet esse necessarium, non vt
prædeterminet, sed vt det virtutem, & principium
agendi. Postquam autem voluntas sic est præuen-
ta, illam Molina comprehendit sub causis secundis
completis in actu primo ad agendum, quæ iam non
indigent nisi simultaneo concursu, cum quo simul
natura, & non priusquam prima causa operantur.
Atque in hunc modum suam sententiam expressè
declarat in eodem libro disp. 39. in Lusitana editio-
ne, & 41. in Antuerpiana, vbi expressè declarat, &
influxum Dei per concursus generalem, & in-
fluxum præuenientis gratiæ in actus supernatura-
les esse omnino simul natura cum influxu liberi ar-
bitrii, & hunc nullo modo posse esse priorem. Et
hanc doctrinam sepius in illo opere repetit, vt
videlicet disputatione vigesima octaua alias 29.
& aliis.

Hinc facile refelluntur aliæ propositiones à F.
D. uia illatæ, vel assertæ. Nam contra primam i-
dem Molina in disp. 39. alias 40. §. Possumus docet
in contritione nihil esse quod supernaturale non
sit, & quod non simul à Deo manet, non solum tanquam ab
excitante, & mouente, & alliciente, sed etiam tanquam
a cooperante, id est, non tantum moraliter sed
etiam physice. Contra secundam vero in disp. 38.
addita in editione Antuerpiana §. Illud deinde do-
cet liberum arbitrium, & gratiam esse causas par-
tiales non partialitate effectus, sed causæ, nihilque
esse in libero actu supernaturali, quod à solo libero
arbitrio fiat, non influente simul Deo, & eius gra-
tia. Quod etiam dixerat in editione priori disputa-
tione 37. & 38. quæ est 40. in posteriori §. Possumus. Et
hinc inferi ibi & in §. Ad primum contra tertiam
propositionem illi obiectam, nihil habere adul-
teri iustificatum de quo gloriari possit, ac si à
Deo non acceperit omne id, in quo à non iusti-
ficato discernitur. Et inde inferi in eadem dis-
putatione §. Ad secundam dicendum non esse ex
duobus æque vocatis vnum conuerti præ sola sua
libertate, sed simul cum auxilio cooperantis gra-
tiæ Dei.

Prima verò propositio obiecta à Cabrera quate-
nus prioritate tribuit libero arbitrio, iam refutata
est, addo verò in se inuoluere repugnantiam. Fate-
mur enim nos asserere, voluntatem se determinare
ex vi sue libertatis, & sufficientis auxilij, in hoc autem
tem includitur, determinationem non esse prius ex
sola libertate, sed simul esse ex virtute gratiæ, repug-
nat ergo quod subdit, prius esse hanc determinationem

quàm Deus ad illam concurrat per auxilium effi-
cax, quia, eo ipso, quod gratia influit in ipsam de-
terminationem, sit & ostenditur efficax in actu se-
cundo, vt Molina frequenter docet. Similis con-
tradictio in secunda propositione inuenitur, in qua
prior illa pars, quod voluntas constituta in actu pri-
mo per auxilium sufficiens se sola, & per seipsam se
reducit in actum secundum, est contra expressa
verba Molinæ, & contra alteram partem, in qua di-
citur etiam ex sententia Molinæ, ad eam reductionem
concomitanter concurrere auxilium efficax. Quo-
modo ergo se sola si non se reducit sine concursu
gratiæ efficacis? Similis contradictio inuenitur in
his, quæ idem auctor refert, & confitetur in tertia
propositione, vt paulo inferius declarabo.

Possent autem illi auctores respondere, quod licet
in quibusdam locis prioritatem negemus, ex di-
stinctis à nobis in aliis locis inferatur, & ita per inciti-
am repugnantiam dicamus. Ad hoc refellendum addi-
mus secundum dictum, quod proposui, nimirum,
nihil in eorum, quæ in obiectione asseruntur, no-
bisq; tribuntur ex dictis nostris, vel probabiliter,
vel etiam apparenter sequi. Hoc probatur in primis
de illo principali absurdo, quod in illa obiectione
inferitur, quia sequitur, aiunt, nos prius natura ef-
ficere determinationem nostram, quàm Deus physice
nos adiuuet, negatur enim sequela: transit enim ab
extremo ad extremum sine medio. Ex eo enim quod
asserimus concursus Dei non esse priorem, infer-
unt esse posteriorem, cum tamen detur medium,
quod nos asserimus, scilicet, esse simultaneum. Item
transitum faciunt à verbo prædeterminandi ad ver-
bum adiuvandi namq; dicimus, voluntatem se de-
terminare priusquàm à Deo physice prædetermine-
tur, imò sine tali prædeterminatione inferunt quod
se determinet, priusquàm Deus illam physice adiu-
uet, quæ illatio valde friuola est, quia datur adiuto-
rium physicum, & simultaneum; tale est enim ad-
iutorium generalis concursus, & specialis influxus
principiorum cooperantis gratiæ. Quin potius ex
ipsa ratione adiutorij nos inferimus cū Aug. debe-
re esse omnino simul, & non prius sub illa ratione, vt
in 1. 3. de auxilio gratiæ adiuuantis declarauimus.

Hinc aperte corrumpunt illæ propositiones, quarum
illationes in hac prima fundantur. Cum ergo F. Da-
uila inferi primo liberum arbitrium suis viribus in-
choare opus pietatis, si excludat cooperantem gra-
tiam, vt indicant illa verba suis viribus, malè inter-
pretatur, quia si liberum arbitrium non prius inchoat, quàm
à Deo iuuetur per gratiam physice cooperantem,
certè non suis viribus inchoat. Si autem particu-
la suis viribus non excludit cooperationem gratiæ,
sed solum significet, voluntatem sua libertate in-
choare cum cooperante gratia opus pietatis suppo-
sita vocatione Dei, sic catholica est doctrina, vt
capite sequenti ostendimus. Quod autem additur
voluntatem suis viribus inchoare opus, vt illud in-
ceptum gratia perficiat & consummet, malè inferitur, &
ad priorem sensum in rigore pertinet. Nam libe-
rum arbitrium non solis suis viribus, sed gratia
physice adiutum opus inchoat, ergo gratia non tã-
tum physice adiuvat ad perfectionem, & consum-
mationem pijs operis, sed etiam ad eius inchoatio-
nem. Cuius contrarium per illa verba significatur.
Verius ergo diceretur, gratiam iuuare ad inchoan-
dum opus, vt postea etiam ad illud perficiendum, &
consummandum iuuat. Iuxta illud. Qui cepit in vo-
bis opus bonum, ipse perficiet. Secunda item illatio, quod
pars operis sit à libero arbitrio, & pars à gratia, ineptissima
est, quia nihil est à libero arbitrio, priusquàm
à concursu, & adiutorio Dei, quomodo inferri po-
test partem aliquam facere solum liberum arbitrium?
Tertia etiam illatio ruit, quia arbitrium solū nihil
facit sine gratia; ergo licet simul cooperetur ad
actum

actum quo se ab alio discernit, non ideo solus facit aliquid quo se discernat. Vnde ad summum inferri posset, non solum gratiam discernere iustum ab iniusto, quod in adultis, & quoad discretionem, quae in executione fit, omnino concedendum est, iuxta illud Aug. *Qui creauit te sine te, non saluabit te sine te.* Vt infra iterum dicemus verba Pauli tractando.

Ex aliis verò propositionibus, quas infert Cabrera duae priores satis iam reiectae sunt. Tertia vero est de ista causali propositione, quia voluntas se determinat ideo Deus efficaciter auxiliatur ad eundem actum, & è contrario haec erit falsa, quia Deus auxilium efficax prebet ideo voluntas se determinat. Eandemque illationem facit Aluar. & per tres alias propositiones illam declarat. Vnde subinfert, concursus Dei ad nostram determinationem non esse determinationem, sed post determinationem. Nos autem quoad illationem attinet, facile negamus, illam causalem sequi ex nostra sententia, quia negamus esse ordinem causalitatis, inter influxum lib. arbitrij, & gratiae, seu Dei, idque conuincimus ex identitate actionis indiuisibilis, sed illae propositiones causales in rigore affirmant ordinem causalitatis, ergo non solum non sequuntur ex nostra sententia, sed ex illa potius in rigore falsae esse conuincuntur, vt latius probaui lib. 1. de Auxil. c. 15. & 16. & lib. 3. c. 6. & 14. Dico autem illas propositiones causales esse falsas, quia si nota illa causalis non indicat propriam causam, sed necessariam conditionem, vel concursum comitantem, sic verissimum est cooperationem liberam arbitrij necessariam esse, vt gratia efficax suum effectum obtineat, quia non iuuat Deus nisi eum qui aliquid conatur, vt est Augustini axioma. Et hunc sensum admittit etiam Cabrera in disp. 2. n. 407. Ego vero censo vitandam esse locutionem, quia in materia graui & calumniosis, ac periculis exposita oportet cum omni proprietate, & rigore loqui. Videndum est ergo verbis significantibus concomitantiam, vt Deus non determinat voluntatem, nisi ipsa se determinet, non iuuat nisi ipsa se iuuat.

Atque hinc ad propositiones, quas Aluar. subinfert, neganda in primis est illa propositio. Deus operatur quia homo operatur, cum in ipsa operatione hominis Dei operatio includatur. Quid est ergo quod Aluar. refert? *Dixerunt* (inquit) consequenter, quod licet in eodem profus momento temporis, & natura, Deus, & voluntas operari incipiant, tamen Deus operatur, quia voluntas nostra operatur. Quomodo haec possunt dici consequenter, cum in verbis citatis aperta contradictio inuoluatur? Nam si Deus & voluntas nostra, in eodem signo, seu momento naturae operari incipiunt, impossibilis est illa causalitas, quae necessariò supponit prioritatem naturae in operatione nostrae voluntatis, sed ideo in hoc hallucinatur, quia nolunt distinguere inter hae duo, Deus non operatur, nisi voluntate hominis cooperante. Deus operatur, quia voluntas hominis operatur, quia longissimè inter se distant, si tunc propositio causalis differt à simplici, seu de inesse. Quod in omni operatione causa secundae suo modo locum habet, nam Deus non concurret cum sole, nisi ipse illuminet, non tamen concurret, quia illuminat. Et idem defectus committitur in illatione illius propositionis, quia homo vult consentire, ideo iuuatur, quam dicit sequi euidenter ex negatione physicae praedeterminationis, cum tamen nulla sit ratio vel apparentia illationis, sed tantum abusus verborum. Nullo ergo modo dici potest quia homo vult consentire, ideo adiunatur, cum non possit velle consentire sine adiutorio Dei. Dicit ergo debet nisi homo velit consentire non iuuatur. Præterea idem est de vltima propositione illata ab eodem Auctore, quia homo vult conuerti, ideo gratia excitans transit in adiuantem, seu cooperantem, nam cum illa causali nota est in

figore falsa, quia ipsum velle conuerti est à gratia adiunante, & iuxta sententiam Molinae gratia excitans influit in illud velle non tantum moraliter sed etiam physice, & per illum influxum transit in gratiam adiuantem, non autem influit gratia excitans, quia arbitrium vulgum quicquid non influit, nisi eam arbitrium velit. Sicut quando voluntas, operatur ex habitu charitatis, habitus non influit, nisi voluntate arbitrio, non tamè influit habitus, quia vult voluntas, non enim praecedit aliquid velle, quo voluntas applicet habitum ad agendum, sed proprie dicitur habitus non influere nisi volente arbitrio.

Denique eadem ratione non est admittenda ex parte Dei illa causalis locutio, quia Deus, vel gratia influit, seu concurret, ideo liberi arbitrium concurret, si talis locutio ad actum ualeat, seu concomitantem concursus Dei ad extra referatur. Probatur quia intercedit eadem ratio, quia illi influxus Dei, gratiae & liberi arbitrij in re non distinguuntur, & ideo non potest esse inter illos vera causalitas. Dico autem, si referatur ad influxum comitantem, quia si huius sit de praeniente auxilio, seu de vocatione verissimè dicitur, quia Deus vocat, vel praenit hominem, ideo vult, vel consentit, nam gratia praenitens est vera causa consensus, licet non excludat cooperationem liberi arbitrij, item si illa causalis referatur ad voluntatem Dei, quia aliqui vocant concursus, seu auxilium ad intra, sic etiam verè dici potest. Quia Deus vult seu prebet concursus, voluntas creata operatur, quia voluntas Dei est vera causa, & principium omnis effectus, & actionis voluntatis humanae, & ita non solum eternitate, sed etiam ordine naturae antecedit, quia per actum immanentem, & virtute transeuntem influit in ipsum concursus, & hac ratione verè est causalis illa propositio, ad quam non est necessaria praedeterminatio physica, sed vera efficientia physica, & simultanea sufficiens.

In his verò quae Cumel subiungit falsum est Dei praescire praedeterminationem sub conditione futurum Dei, neque id potest inferri ex nostra sententia, sed potius contrarium, quia Deus non praescit futurum siue absolute, siue sub conditione, nullo modo, quo si verum est in vtroque, illo statu. At vero determinatio libera nec absolute, nec sub conditione futura est antecedenter ad influxum gratiae, vel Dei, sed cum illo, & omnino simul, vt ostensum est, ergo non aliter praescitur futura. Itaque sicut praescientia absoluta Deus praescit determinationem futuram à voluntate cum concursu, & gratia Dei illi in tempore danda, ita in praescientia conditionata scit ad quam partem voluntas sit determinanda, cum tali concursu, & auxilio gratiae, si illi in tali opportunitate detur, aut offeratur, vt illam inueniat ad se determinandum, & ita non antecedenter sed concomitanter ad influxum gratiae praescitur talis determinatio. At vero in hoc etiam sensum inferri potest ex nostra sententia Deum expectare cooperationem nostrae liberae voluntatis, vt ipse operetur. Sed de hac locutione dicam latius infra cap. 4. Est enim sub illis verbis, & ablata a quoque locutione verissima.

Quae in altero loco Cumel mihi imponit, quatenus attingunt quæst. de initio salutis, infra in eodem capite tractanda sunt: quoad alia verò reiecta sunt. Quis enim dixit supposita excitante gratia liberum arbitrium incipere prius natura conuersionem, per quam proximè preparatur ad gratiam? Nam si sit sermo de gratia, id est, de auxilio physico, vel physice adiunante, homo non se preparat ad illam gratiam incipiendo conuersionem, sed cum illa gratia gratis collata incipit conuersionem. Si vero sit sermo de gratia sanctificante, si verum est, hominem per conuersionem se prepara-

rare ad illam, sed falsum est prius natura incipere talem conuersionem; quam per auxilium gratiæ ad illam inchoandam physicè inueter, non prius nec posterius, sed simultaneo concursu. Et apertè repugnantia inuoluitur, cum dicitur, quia homo uoluit consentire prius natura, ideo Deum uelle inuare illum simultaneo concursu, nam simultaneus concursus non datur ad id, quod est prius natura, cum à nobis dicatur simultaneus non tantum tempore, sed etiam natura. Nec aliud tandem colligere potuit, ex omnibus locis, & uerbis meis, quæ ibi citat, nisi vel Deum in consensu simultaneo, non prius natura, prioritate scilicet, causalitatis operari, quod ego libentissime admitto, vel Deum quoad hunc concursum expectare influxum liberi arbitrii, quod etiam verum, & certum iudico. Sed de hoc posteriori puncto in loco citato dicam; de priori uero iam satis est dictum, & demonstratum, quàm longè sint ab illo principio cætera quæ ex illo male inferunt. Quorum vnum est, quod ultimo loco addit, de sufficientia, & efficacia auxilij, quod prior sola sit ex Deo, secunda ex nobis. Hæc enim posterior pars falsa est, ut dicam capite sequenti, nec sequitur ex dictis, cum arbitrium nihil faciat in ordine supernaturali sine auxilio efficaci, nec det illi efficaciam, sed ab illo potius inueter. Solum ergo dici potest auxilium efficax operari sine nobis, quod uerissimum est, longe tamen diuersum.

Ad ea tandem quæ Ledesma induxit, fateamur, nos dicere, Deum non prius natura influere per concursum generalem, nec per actuale influxum gratiæ adiuantis. Cauenda uero sunt uerba, quibus sepe ille auctor confusè utitur concursum confundendo cum prædeterminatione, cum præmotione, ut possit inde concipere lector nos omnem gratiæ præmotionem negare. Distinctè ergo loquendo asserimus, Dei gratiam præcedere præmotionem liberi arbitrii, excitando illud, alliciendo, ac preparando, non prædeterminando, & quoad hæc præmotionem Dei non est simul, sed præcedit tempore, quando est tantum sufficiens, vel saltem natura, quando est efficax, modo à nobis declarato. Post hanc uero præmotionem, in illo puncto, quo arbitrium determinatur, nullam aliam prædeterminationem, vel præmotionem causalem admittimus, sed concursum, & influxum simultaneum, ut satis iam declaratum est. Neque Molina aliquid amplius dicit in illo eodem loco, quem Ledesma citat, ut manifestè ostensum est.

Ultimò ergo addo tertium dictum quod proposui, uidelicet, totam hanc obiectionem locum habere in sententia illorum Doctorum, & ab eis eodem modo soluendam esse, si uelint consequenter loqui, solumque inter nos relinqui cōtrouersiam de auxilio præuio prædeterminante, cum qua omnes istæ illationes & propositiones nullam habent connexionem. Declaratur assertio. Nam isti auctores admittunt nobiscum esse necessariam auxilium simultaneum imbibitum in actione liberi arbitrii.

Neque enim negare possunt, ut laudent, primam causam, per se, & immediatè influere in actionem creaturæ, neque etiam possunt negare, quin actio liberi arbitrii, si supernaturalis sit, immediatè, ac per se sit ab aliquo principio supernaturali, & grauiter physicè in illam influente. Ergo loquendo præcisè de illo influxu simultaneo, obijci eodem modo potest contra illos Auctores, quod prius natura influat arbitrium, quam gratia, quia hoc influit prius secundum illam influxum; ergo posterius. Item sequitur, Deum concurrere, quia voluntas concurrat. Hæc autem non debent, nec possunt admitti in illa sententia, etiam respectu auxilij simultanei, quia nihil intelligi potest fieri à libero arbitrio sine illo simultaneo influxu; ergo necessesse est,

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

ut etiam fateantur ex negatione prioris, non inferri affirmationem posterioris, quia similtas excludit prioritatem, & posterioritatem respectu eiusdem; & secundum eundem ordinem naturæ, & causalitatis. Item fateri debent ex concomitantia necessaria non sequi causalitatem cum necessaria concomitantia, quia non agunt solitariè, ut sic dicam sed concurrente simul. Ergo in hoc versatur eadem ratio in utraque opinione. Solum ergo superest quaestio de necessitate præuij concursus, ante simultaneum, quæ controuersia per hanc obiectionem non attingitur, quia siue detur talis præmotio, siue non detur, semper est verum liberum arbitrium in operibus gratiæ nihil posse sine aliquo præmotione, & nullum opus posse agere, aut inchoare, sine actuali influxu, & concursu Dei proportionato operi voluntatis humanæ, & eiusdem ordinis cum illo. Nihil ergo sententiæ nostræ obstant propositæ obiectiones, de aliis uero ut lectoris falsidium seuemus, in capitibus sequentibus iuxta occurrentes occasiones dicemus.

C A P V T XXVIII.

Concluditur uera concordia libertatis auxilij cum efficaci auxilio eiusque necessitate in gratia operibus.

HÆ concordia in re ipsa iam explicata est, quia uerò est præcipuus scopus, & fructus in hac disputatione intentus, ideo breuiter, & clare proponenda est, & nonnullæ obiectiones dissoluenda, ut per earum solutionem ueritas illustrari fiat. Duæ uero sunt, ut sic dicam, partes libertatis, quæ integræ, & illasq; conseruari debent secundum eundem, non obstante necessitate auxiliorum gratiæ etiam efficientiam, quæ secundum legem ordinariam Dei hominibus dantur. Prior pars libertatis est quoad specificationem, seu contrarietatis, quæ requirit potestatem ueram, & moralem, ad præstandum supernaturalem consensum uocationi, etiam in his hominibus, qui uocationi sufficienti non consentiunt. Altera pars libertatis est quoad exercitium, quæ postulat potestatem non consentiendi uocationi, etiam in his hominibus qui uocationi consentiunt, considerata prius natura, quam consensus fiat. Quæ omnia satis patent ex dictis supra de libertate.

Dicimus ergo primò, necessitatem gratiæ efficaci existentis in uocatione congrua optimè conuenire, seu in concordiam redigi cum libertate quoad specificationem. Ratio est, quia homo à Deo uocatus habet potestatem proximè sufficientem ad consentiendum si uelit, ita ut sine alio præueniente auxilio, vel prædeterminatione extrinsecus proueniente possit cum effectu uelle, & facere id, ad quod uocatus est; ergo talis homo licet cum effectu non consentiat, liber est ad consentiendum. Antecedens probatum hætenus est contra alias sententias. Consequentia uero probatur, quia in illo homine ordine naturæ præcedit uere potestas consentiendi per principia gratiæ tam moralia, quam physica, & potestas dissentiendi, per irritam libertatem, ut effectus ipse probat in his, qui non consentiunt; ergo in tali homine prius natura, quam dissentiat, est uera libertas ad consentiendum, & consequenter, quoad specificationem actus, seu libertas contrarietatis, hæc enim idem sunt.

Secundò ad maiorem declarationem eadem ra-

Kk

Mo